Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 505
Quelle:
Copyright:

tium absone: *Praetermittam nihilominus locos illustriores.* Repone cum Nostro: *Praetermittam nihilominus multa de multis et solum attingam locos illustriores.* Ita mox: *ad Taboritas potius quam in apertis villis pernoctare.* Insere: *potius divertere.* Et dein: *Sacerdotes occisos*, rectius cum Codice: *crematos.* Et sic ultra.

III. *fol.* 85. Excerpta ex *Epistola*, quae inscribitur: *lampertho de ciuitate kalis in Regno polonie Canonico Sandanirensi* (Sendomirienfi?) *iam actu licentiato in vtroque iure in alma et famosa vniuersitate parisyen.* a *Johanne de Ciuitate poznanya ejusdem regni arcium magistro nec non in decretis baccal. universitatis Cracouien. et ecclesie rectore parochialis in opido gostyn dyoc. pozn.* et refert *Articulos* XXVI. a *Simone* quodam *apostata ordinis Cystercien.* pro concione propositos *in profesto beati Georgii* anno MCCCCL. in *Moraviae Civitate Cromerziz*, cujus Parochiam *vero et iusto plebano cremato* occupaverat. Civitas haec *Bohemis* Kromierziż *Cremsirium* est; ait enim Polonus noster: *que quidem Ciuitas aliquando fuit ex priuilegio fundacionis vetuste Episcopi dyocesis olomuncien. sed potentia hereticorum dudum est ab illo alienata. Articuli* porro relati sunt: Eucharistiam a justo vel peccatore sub utraque specie sumendam, et quidem quotidie. Intra diuina nil offerendum humani, sed oblationes faciendas in aede Plebani. Virginum capita in ecclesia peplis velanda, *nec quisquam masculus caput eis sertis audeat trabeare.* Et deinceps contra Cultum Imaginum, Autoritatem Papae et Episcoporum, Confessionem auricularem, Suffragia pro Defunctis, Possessiones Cleri, *Viros beluatos*, ita Monachos vocat, quos in *Silveta* relegat; inclusionem Hostiae in Tabernaculo &c.

IV. *fol.* 88. *Gesta Steffani de porcariis Romani militis.* Motam ab hoc Equite Rom. viro, ut ait Noster, *animi utinam tam moderati quam erat ingenio preditus docili et lingua ad dicendum paratus*, *Nicolao* V. in urbe seditionem narrant *Platina* et *Ciaconius* in *vita* egregii hujus Pontificis, *Aen. Silvius* in *Hist. Europae*, et alii. Totam porro Rei seriem praesens complectitur *Epistola* data, ut ad calcem habes, *Rome XIX. Kalend. februarias* MCCCCLIII. itaque quinque diebus a sumto de *Stephano* et complicibus supplicio. Eam inter Opera *Philelphi*, *Poggii*, *Vallae*, *Georgii Trapez.* *Blondi*, *Gazae* non invenio, pertinere tamen ad unum aliquem e doctis illis Advenis, quos *Nicolai* in literas amor et liberalitas in Urbem adciverat, ex iis conjicio, quae finem versus leguntur: *Nos alii quidem, qui etatem hic duximus, qui laudi vrbis afficimur, civiumque loco amore in urbem sumus* &c. Orditur vero is: *Etsi ad uos que per hos dies hic apud nos gesta sunt rumoribus esse delata non dubitem, tamen quod in tantis rebus sit* (fit?) *cupere te arbitror a nobis amicis ea discere,*